

rum : ubi accesserit consecratio, de pane sit caro Christi: quod quidem ut facilius probare posset, varia deinde affert exempla et similitudines: alibi vero, cum verba illa interpretaretur: (a) Omnia quæcumque Dominus voluit, fecit in celo et in terra : Licit, inquit, (b) figura panis et vini videatur, nihil tamen aliud quam caro Christi et sanguis post consecrationem credendum est. Atque eisdem fere verbis eamdem sententiam sanctus Hilarius (c) exponens, docuit, quamvis extinsecus panis et vinum videatur, vere tamen corpus et sanguinem Domini esse.

Cur Eucharistia post consecrationem panis vocetur.

XXXVIII. Sed moneant pastores hoc loco mirandum non esse, si post consecrationem panis etiam vocetur: hoc enim nomine Eucharistia appellari consuevit; tum quia panis speciem habeat, tum quia naturalem alendi et nutriendi corporis vim, quæ panis propria est, adhuc retineat. Eam autem esse sacrarum Litterarum consuetudinem, ut res ita appelleret, ejusmodi esse videantur, satis ostendit quod in Genesi dictum est, (d) tres viros Abrahe apparuisse, qui tam tres Angeli erant. Et duo illi qui Apostoli, ascendent in cœlum Christo Domino, apparuerunt, cum essent Angeli, (e) viri dicuntur. *Vide divum Thomam*, 5 p. q. 75, art. 5 et 4.

Conversio quæ sit in Eucharista ut caule populis explicanda.

XXXIX. Difficillima est omnino hujus mysterii explicatio: sed tamen conabuntur pastores, iis

(a) Ps. 154, 6. — (b) De Consecr. dist. 2, c. Omnia. — (c) Hilar. de Trin. lib. 8. et de Consecr. dist. 2, c. 28. — (d) Genes. 18, 2. — (e) Act. 1, 10.

qui magis in divinarum rerum cognitione proficerunt (nam qui adhuc imbecilliores sunt, verendum esset ne rei magnitudine opprimerentur), conabuntur, inquam, tradere hujus admirabilis conversionis modum, quæ ita sit, ut tota panis substantia divina virtute in totam corporis Christi substantiam, totaque vini substantiam in totam sanguinis Christi substantiam, sine ulla Domini nostri mutatione convertatur. Neque enim Christus aut generatur, aut mutatur, aut augescit, sed in sua substantia totus permanet. Quod mysterium cum divus Ambrosius (a) declarat: Vides, inquit, quam operatorius sit sermo Christi. Si ergo tanta vis est in sermone Domini Iesu, ut inciperent esse quæ non erant, mundus scilicet: quanto magis operatorius est, ut sint quæ erant, et in aliud commutentur? In quam sententiam alii etiam veteres et gravissimi Patres scriptum reliquerunt; divus quidem (b) Augustinus: Fideliter fatemur ante consecrationem panem esse et vinum, quod natura formavit; post consecrationem vero carnem Christi et sanguinem quod benedictio consecravit; Damascenus: (c) Corpus secundum veritatem conjunctum est divinitati, corpus ex sancta Virgine: non quod ipsum corpus assumptum de celo descendat, sed quod ipse panis et vinum in corpore et sanguinem Christi transmutentur.

Hæc conversio transsubstantiatio dicitur.

XL. Hæc itaque admirabilis conversio convenienter et proprie a sancta catholica Ecclesia Transsubstantiatio est appellata, quemadmodum sacra Tridentina Synodus (d) docuit. Ut enim ge-

(a) D. Amb. lib. 4, de Sacr. c. 4. — (b) Citatur de Consecr. dist. 2, c. Nos autem. — (c) Lib. 4, de Orthod. fid. c. 14. — (d) Trid. sess. 15, c. 4; et can. 2, et de Consecrat. dist. 2, c. Panis.

neratio naturalis, quod forma in ea mutatur, recte et proprie transformatio dici potest, ita etiam quod in sacramento Eucharistiae tota unius rei substantia in totam alterius rei substantiam transeat, verbum transubstantiationis recte et sapienter a majoribus nostris inventum est.

De transsubstantiatione curiosus non inquirendum.

XLI. Sed illud saepissime a sanctis Patribus repetitum fideles admonendi sunt, ne curiosus inquirant quo pacto ea mutatio fieri possit. Nec enim percipi a nobis potest, nec in naturalibus mutationibus, aut in ipsa rerum creatione ejus rei exemplum aliquod habemus. Verum, quid hoc sit, fide cognoscendum est; quomodo fiat, (a) curiosus non inquirendum.

Totum Christi corpus in minima particula continetur.

XLII. Non minorem vero cautionem pastores adhibeant oportet, in eo etiam mysterio explicando, quo modo Christi Domini corpus (b) vel in minima panis particula, totum contineatur: vix enim unquam hujusmodi disputationes instituenda erunt; sed tamen quando christiana charitas hoc postulaverit, primum quidem meminirent fideliū animos illa voce prenumire: (c) Non erit impossibile apud Deum omne verbum.

Quonam modo Christus existat in Eucharistia.

XLIII. Deinde vero doceant Christum Dominum in hoc sacramento ut in loco, non esse: etenim

(a) Eccli. 5, 22. — (b) D. Thom. 5 p., q. 76. Trid. sess. 15. c. 3 et can. 4, et Florent. in Decr. Eugen. — (c) Luc. 1, 37.

locus res ipsas consequitur, ut magnitudine aliqua praeditae sunt. Christum vero Dominum ea ratione in sacramento esse non dicimus, ut magnus aut parvus est, quod ad quantitatem pertinet, sed ut substantia est. Substantia enim panis in Christi substantiam, non in magnitudinem, aut quantitatem convertitur. Nemo vero dubitat substantiam aquae in parvo atque in magno spatio contineri. Nam et aeris substantia totaque ejus natura sic in parva, ut in magna aera parte, itemque tota aquae natura non minus in urnula, quam in flumine insit necesse est. Cum igitur panis substantiae corpus Domini nostri succedat, fateri oportet, ad eundem plane modum in sacramento esse, quomodo panis substantia ante consecrationem. Ea vero utrum sub magna, an sub parva quantitate esset, nihil ad rem omnino pertinebat.

Accidentia sine subjecto constare in Eucharistia.

XLIV. Tertium restat, quod in hoc sacramento maximum atque admirabile videatur, quod quidem, jam duobus aliis explicatis, facilius a pastribus tractari posse existimandum est, panis videlicet et vini species in hoc sacramento sine aliqua re subjecta constare: nam cum antea demonstratum sit corpus Domini et sanguinem vere in sacramento esse, ita ut nulla amplius subsit panis et vini substantia, quoniam ea accidentia Christi corpori et sanguini inhærente non possunt, relinquunt ut supra omnem naturę ordinem ipsa se nulla alia re misa sustentent. (a) Haec

(a) Vide de Cons. dist. 7. c. Nos autem, et Decr. lib. 1. tit. de Cel. miss. c. Cum. Matth. et D. Th. 5 p., q. 75, a. 5. et q. 77, a. 2.

perpetua et constans fuit catholicæ Ecclesiæ doctrina; qua etiam facile eorum testimoniorum auctoritate confirmari poterit, quibus antea plenum factum est, nullam residere in Eucharistia panis aut vini substantiam.

Debita fidelium erga Eucharistiam.

XLV. Sed nihil magis fidelium pietati convenit, quam, omissis subtilioribus questionibus, hujus admirabilis sacramenti majestatem venerari et colere; ac deinde in eo summam Dei providentiam suspicere, quod sacrosanta mysteria sub panis et vini specie administranda instituerit.

Cur sub speciebus panis et vini Eucharistia sit instituta.

XLVI. Nam cum a communi hominum natura maxime abhorreat, humane carnis esca aut sanguinis potionem vesci, sapientissime fecit, ut sanctissimum corpus et sanguis sub earum rerum specie, panis, inquam, et vini, nobis administrarentur, quorum quotidiano et communi alimento maxime delectamur. Adjunctæ vero etiam sunt duas illæ utilitates, quarum prima est, quod ab infidelium calumniis liberati sumus, quas facile effugere non possemus, si Dominum sub propria specie comedere videremur: altera est, quod dum corpus et sanguinem Domini ita sumimus, ut tamen, quod vere sit, sensibus percipi non possit, hoc ad fidem in animis nostris augendam plurimum valet: qua fides, ut sancti Gregorii (a) sententia pervulgatum est, ibi non habet meritum, ubi humana ratio præbet experimentum. Vide Cyrill, lib. 4 in Joan. c. 22, Cypr. de Cœna Domini. Amb. de Sacram. lib. 4, c. 4. Aug. tract.

(a) Hom. 26 sup. Evang.

27, in Joan. D. Thom. p. 3, q. 74, art. 1, et q. 75, art. 1. Hæc autem, quæ hactenus exposita sunt, non nisi magna adhibita cautione, pro audientium captu, et temporum necessitate explicanda erunt.

Vis Eucharistæ mirabilis et fructus innumeri.

XLVII. Verum, quæ de hujus admirabilis (a) sacramenti virtute et fructibus dici possunt, nullum esse genus fidelium existimandum est, ad quos earum rerum cognitio non pertineat, et quibus maxime necessaria videri non debeat. Ut enim Eucharistæ utilitatem fideles intelligent, ob eam potissimum causam, quæ de hoc sacramento, tam multis verbis disseruntur, cognoscenda sunt. Sed quoniam immensæ ejus utilitates et fructus nulla oratione explicari possunt: unus aut alter locus a pastoribus tractandus erit, ut ostendant, quæ in sacrosanctis illis mysteriis honorum omnium copia et affluentia inclusa sit.

Omnia sacramentorum fons est Eucharistia.

XLVIII. Hoc vero aliqua ex parte ita assequentur, si omnium sacramentorum vi atque natura patetfacta, Eucharistiam fonti, cætera rivulis comparaverint; vere enim ac necessario fons omnium gratiarum dicenda est: cum fontem ipsum coelestium charismatum et donorum omniumque sacramentorum auctorem Christum Dominum admirabil modo in se contineat: a quo tanquam a fonte ad alia sacramenta, quidquid boni et perfectionis habent, derivatur. Ex hoc igitur divine gratia amplissima munera, quæ nobis hoc sacramento impertuntur, facile colligi poterunt.

(a) Trid. sess. 13. c. 3 et can. 5. Iren. lib. 4, c. 14. Cyril. lib. 4 in Joan. c. 41 et 14. Chrysost. homil. 45, in Joan. D. Thom. 3 p., q. 79.

Quod cibis corpori, illud Eucharistia spiritui confert.

XLIX. Commodo etiam fieri videbitur, si panis et vini natura quæ hujus sacramenti symbola sunt perpendatur. Nam quos usus corpori panis et vinum affert, eos omnes animæ saluti et jucunditati, ac meliori quidem et perfectiori ratione. Eucharistie sacramentum præbet. Neque enim hoc sacramentum in substantia nostram ut panis et vinum mutatur, sed nos quodammodo in ejus naturam convertimur: ut recte illud divi Augustini (a) ad hunc locum transferri possit: Cibus sum grandium: cresce et manducabis me: nec tu me mutabis in te, sicut cibum carnis tue; sed tu mutaberis in me. *Vide Ambros. lib. 5. de Sacram. c. 1. et Chrys. hom. 45 in Joannem.*

Gratia per Eucharistiam influit in animam.

L. Quod (b) si gratia et veritas per Jesum Christum facta est, in animam quoque influit est necesse, cum eum pure et sancte accipias, qui de ipso dixit: (c) Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in illo. Nam qui pietatis et religionis studio affecti hoc sacramentum sumunt, nemini dubium esse debet, quin ita Filium Dei in se admittant, ut ejus corpori tanquam viva membra inserantur; siquidem scriptum est: (d) Qui manducat me, et ipse vivet propter me. Item: Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Quem locum Cyrilus: (e) dum interpretatur, inquit: Dei Verbum unius, scipsum propriæ carni, fecit ipsam vivificativam. Eum ergo decebat miro quo-

(a) Lib. 7. conf. c. 10. — (b) Joan. 1. 42. — (c) Joan. 6. 57. — (d) Joan. 6. 57. — (e) Lib. 4. in Joan. c. 12 et 14, et Ep. 10 ad Nestor.

dam modo uniri corporibus per sacram ejus carnam, et pretiosum sanguinem, quæ accipimus in benedictione vivificativa, in pane et vino.

Ubi peccatum, ibi nil prodest Eucharistia.

LI. Verum, quod dicitur Eucharistia gratiam tribui, pastores admoneant oportet ita intelligendum non esse, perinde ac necesse non sit, ut qui re ipsa hoc sacramentum utiliter percepturus est, gratiam antea adeptus fuerit. Constat enim quemadmodum mortuis corporibus naturale alimentum nihil prodest, ita etiam animæ, quæ spiritu non vivit, sacra mysteria non prodesse.

Nota. Ac propterea panis et vini speciem habent, ut significetur, non quidem revocandæ ad vitam animæ, sed in vita conservandæ causa instituta esse.

Propter Eucharistiam etiam prima gratia datur, et cur.

LII. Verum hoc ideo dictum est, quoniam prima etiam gratia (qua omnes prædictos esse oportet, antequam sacram Eucharistiam ore contingere audeant, (a) ne judicium sibi manducent et bibant) nemini tribuitur, nisi hoc ipsum sacramentum desiderio et voto percipient. Est enim omnium sacramentorum finis, et ecclesiastice unitatis ac conjunctionis symbolum; neque extra Ecclesiam consequi gratiam ullus potest.

Nota. Deinde, quoniam, uti corpus cibo naturali non conservatur modo, sed etiam augetur, gustusque novans quotidie ex eo voluptatem et suavitatem percipit, ita etiam sacra Eucharistia cibus non solum animam sustentat, sed vires illi addit, efficitque ut spiritus divinarum rerum

(a) 1 Cor. 11. 29.

delectatione magis ac magis commoveatur: ob eam causam fit ut gratiam hoc sacramento tribui recte et verissime dicatur, jure enim manna comparari potest, (a) ex quo omnis saporis suavitatis percipiebatur.

Leviora peccata per Eucharistiam remittuntur.

LIII. Remitti vero Eucharistia, et condonari leviora peccata, quae venialia dici solent, non est quod dubitari debat. Quidquid enim cupiditatis ardore anima amisit, dum levi aliqua in re parum offendit, totum id Eucharistia, eas ipsas minores culpas abstergens, restituit: quemadmodum etiam (neque enim a proposita similitudine discedendum videtur) quod innati caloris vi quotidie detrahitur ac deperit, paulatim addi et refici naturali alimento sentimus. Quare merito a divo Ambrosio (b) de hoc coelesti sacramento dictum est: *Iste panis quotidianus sumitur in remedium quotidianarum infirmitatis.*

Innocent. III, lib. 4 de Myst. miss. c. 44. Cy- rill. lib. 4 in Joannem, c. 17, et lib. 5, c. 56. Inter opera divi Bernardi habetur cujusdam sermo Domini qui incipit: Panem Angelorum, et singularis est de Eucharistia, videatur et D. Thomas 5 p., q. 79.

Nota diligenter.

Verum haec de iis peccatis intelligenda sunt, quorum sensu et delectatione animus non permoveatur.

Contra adversa roboret Eucharistia.

LIV. Illa praeterea in sacris mysteriis visest, (c) ut nos a criminibus puros et integros atque a

(a) Sap. 16, 20. — (b) Lib. 4 de Sacr. c. 6, et lib. 5, c. 4. — (c) Aug. tract. 26 in Joan.

tentationum impetu incolumes servet, ac tanquam coeli medicamento animam prepararet, ne alicuius mortiferæ perturbationis veneno facile infici ac corrumpi queat, atque ob eam etiam causam, ut testatur divus Cyprianus, (d) cum olim a tyrannis tideles ad tormenta et cædem propter christiani nominis confessionem vulgo raperentur, ne illi forte dolorum acerbitate victi, in salutari certamine desicerent, vetus in Ecclesia catholica mos fuit, ut eis ab Episcopis Dominici corporis et sanguinis sacramenta preberentur.

Libidinem cohivet Eucharistia.

LV. Sed carnis etiam libidinem cohivet ac reprimit; dum enim charitatis igne animos magis incidunt, concupiscentie ardorem restinguat necesse est.

Eucharistia viam munit ad eternam gloriam.

LVI. Postremo, ut uno verbo omnes hujus sacramenti utilitates et beneficia comprehendantur, dicendum est, sacra Eucharistiae summam vim esse ad eternam gloriam comparandam. Scriptum est enim: (b) Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam eternam, et ego resuscitabo eum in novissimo die. *Vide Chrysost. de Sacerdotio. Dial. 6. S. Thomas, 3 p., q. 79, art. 2.*

Hujus videlicet sacramenti gratia fideles, dum hanc vitam degunt, summa conscientia pace et tranquillitate perfruuntur: deinde ejus virtute recreati, non secus atque Elias, (c) qui subcinericij panis fortitudine ambulavit usque ad montem Dei Horeb, cum ex vita emigrandi tempus advenit,

(a) Lib. 4 Epist. 2 ad Corin.—(b) Joan. 6, 54. — (c) Reg. 19, 6. — (d) Gal. 2, 12.

ad eternam gloriam et beatitudinem ascendunt.
Nota. Hec omnia a pastoribus latissime explicabuntur, si vel divi Joannis c. 6, in quo multiplices hujus sacramenti effectus aperiuntur, tractandum sumpserint: vel admiranda Christi Domini facta percurrentes, ostenderint, cum eos jure ac merito beatissimos fuisse existimamus, in quorum (a) tecta mortalis receptus est, vel qui illius (b) vestis aut fibriæ tactu sanitatem recuperarunt: multo nos beatores et feliciores esse, in quorum animas immortali gloria præditus ingredi non gravetur, ut ejus vulnera sanet omnia, eamque amplissimis muneribus ornatam sibi conjungat.

Triplex modus sumendi Eucharistiam.

LVI. Verum docendum est, a quibus ingentes illi sacre Eucharistie fructus, qui modo commemorantur sunt, percipi possint: neque unam tantum esse communicandi rationem, ut fidelis populus discat meliora chrismata amulari. Recte igitur et sapienter majores nostri, ut in Tridentina synodo (c) legimus, tres hujus sacramenti sumendi rationes distinxerent.

Sacramentaliter.

Alii enim sacramentum tantum accipiunt, ut peccatores, quisacra mysteria impuro ore et corde accipere non verentur, quos Apostolus ait (d) indigne manducare et bibere corpus Domini. De his divus Augustinus (e) ita scribit: Qui non manet in Christo, et in quo non manet Christus, procul dubio non manducat spiritualiter ejus carnem,

(a) Luc. 19, 9. — (b) Matth. 9, 20, et 14, 56. — (c) De consec. dist. 2, can. 46, sess. 15, cap. 8. — (d) 1 Cor. 11, 29. — (e) In Joan. tract. 16, et contra Donat. lib. 5, cap. 8.

licet carnaliter et visibiliter premat dentibus sacramenta corporis et sanguinis. Qui itaque hoc modo affecti sacra mysteria recipiunt, non solum ex his nullum capiunt fructum, sed ipso Apostolo teste, (a) judicium sibi manducant et bibunt.

Spiritualiter.

Alii vero spiritu tantummodo Eucharistiam sumere dicuntur, ii sunt qui desiderio et voto propositum caelestem illum panem comedunt, fide viva incensi, (b) quem per dilectionem operatur: ex quo si non omnes, maximos certe utilitatis fructus consequuntur.

Sacramentaliter et spiritualiter.

Alii denique sunt, qui sacramento et spiritu sacram Eucharistiam percipiunt: qui cum ex Apostoli doctrina (c) prius se probaverint, ac ueste nuptiali ornati ad divinam hanc mensam accesserint, ex Eucharistia capiunt uberrimos illos, quos antea diximus, fructus.

Nota. Quare perspicuum est eos se maximis et coelestibus bonis privare, qui cum ad corporis Domini sacramentum etiam sumendum paratiessent, satis habent spiritu tantum sacrum communionem accipere.

Ad Eucharistiam accedens preparare se debet, et cur.

LVIII. Sed jam docendum est qua ratione preparatos fidelium animos esse oporteat, antequam ad sacramentalem Eucharistiae perceptionem veniant.

Primo. — Ac primum quidem, ut pateat eam preparationem maxime necessariam esse, Salva-

(a) 1 Cor. 11, 29. — (b) Gal. 5, 6. — (c) 1 Cor. 11, 28.

toris nostri exemplum proponendum est. Nam antequam Apostolis pretiosi corporis et sanguinis sui sacramenta daret, quamvis jam mundi essent (*a*), pedes eorum lavit, ut declararet omnem diligentiam adhibendam esse, ne quid nobis ad summam animi integritatem et innocentiam debeat, cum sacra mysteria percepturi sumus.

Secundo. — Deinde vero fideles intelligent quemadmodum, si optime affecto et preparato animo Eucharistiam aliquis sumat, amplissimis celestis gratiae muneribus ornatur; ita contra, si imparatus accipiat, non solum nihil commodi, sed maxima etiam incommoda et detrimenta eum accipere. Optimis enim rebus et maxime salutaribus hoc proprium est, ut, si in tempore iis utamur, vehementer prosint: sin alieno tempore adhibeantur, perniciem et exitum afferant. Quare mirandum non est ingenita quoque et praeclarissima Dei dona, cum bene constituto animo accipiuntur, ad coelestem gloriam consequendam maximo nobis adjumento esse; at vero, cum iis nos ipsos indignos praebemus, sempiternam mortem asserre.

Exemplum.

Id vero arcæ Domini exemplo comprobatur; arca enim fœderis, qua nihil præstantius Israëliticus populus habuit, cui etiam per illam maxima et innumerabilia beneficia Dominus tribuerat, (*b*) a Philisteis ablata summam illis pestem et calamitatem cum æterno dedecore conjunctam importavit; sic etiam cibi, qui ore accepti in stomachum bene affectum illabuntur, corpora alunt et sustentant; qui vero in stomachum virosis humoribus plenum infundi solent, graves

(*a*) Joan. 13, 5. — (*b*) 1 Reg. 5, toto.

morbos efficiunt. *De præparatione ad Euchar. requisita, vide Trident. sess. 13, c. 7. et cant. 11. Basil. q. 172, regul. brev. et serm. 2 de Baptism. Cypr. toto fere lib. de Lapsis, agendo de Penit. Aug. serm. 1 de Temp. Chrys. hom. 44, 45, 46 in Joannem et in hom. 83.*

Præparatio animæ ad Eucharistiam.

LIX. Prima. — Primam itaque illam præparationem fideles adhibeant, ut discernant mensam a mensa, hanc sacram ab aliis profanis, celestem hunc panem a communi. Atque hoc sit, cum certo credimus præsens esse verum corpus et sanguinem Domini, quem in celo Angeli adorant, (*a*) ad cuius nutum columnæ cœli contremiscunt et pavent, (*b*) cuius gloria plenum est celum et terra. Hoc nimurum est, (*c*) dijudicare corpus Domini, quod Apostolus admonuit: cuius tamen mysterii magnitudinem venerari potius oportet quam in disputationibus ejus veritatem curiosius perquirere.

Secunda. — Altera vero illa præparatio maxime necessaria est, ut unusquisque a seipso querat, num pacem cum aliis habeat, num proximos vere atque ex animo diligit? (*d*) Si ergo offert munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversus te, relinque ibi munus tuum ante altare, et vade prius reconciliari fratri tuo, et tunc veniens offeres munus tuum.

Tertia. — Deinde conscientiam nostram scrutari diligenter debemus, ne forte exitiali aliquo peccato contaminati simus, cuius penitere necesse sit, ut prius contritionis et confessionis medicata.

(*a*) Job. 26, 11. — (*b*) Isa. 6, 5. — (*c*) 1 Cor. 11, 29. — (*d*) Matth. 5, 25.

mento illud eluatur: definitum est enim a sancta Tridentina Synodo (a) nemini licere, quem mortalis peccati conscientia stimulet, si sacerdotis facultas data sit, antequam se sacramentali confessione purgaverit, quantumvis sibi contritus esse videatur, sacram Eucharistiam accipere. *Chrysost. homil. 30 in Genes. et 20 in Matth. Cypr. in lib. de Lapsis.*

Quarta. — Præterea taciti cum animis nostris cogitemus, quam indigni simus, quibus divinum hoc beneficium a Domino tributatur: quare illud centurionis, de quo idem ipse Salvator testatus est, (b) se non invenisse tantam fidem in Israel, examinare dicendum est: Domine, non sum dignus ut intres sub tectum meum.

Quinta. — Exquiramus etiam a nobis ipsis in illud Petri usurpare nobis licet: (c) Domine, tu scis quia amo te. Meminisse enim oportet, eum qui (d) sine ueste nuptiali in domini convivio acuberat, in tenebrosum carcerem conjectum, semiperitos pœnis adductum fuisse.

Præparationes corporis ad Eucharistiam.

LX. Neque vero animi solum, sed etiam corporis præparatione opus est; nam jejuni ad sacram mensam accedere debemus, ita ut saltem a dimidia antecedentis diei nocte, usque ad illud temporis punctum, quo Eucharistiam accipimus, nihil omnino comederimus aut biberimus. *Vide August. Epist. 118, c. 6, et lib. 1 ad inquis. Januarii, c. 6.*

Conjugum.

LXI. Postulat etiam tanti sacramenti dignitas, ut qui matrimonio conjuncti sunt, aliquot dies a

(a) Sess. 15, can. 11. — (b) Matth. 8, 10. — (c) Joan. 21, 15. — (d) Matt. 22, 12, 13.

concupiscentia uxorum abstineant, Davidis exemplo admoniti (a), qui cum panes propositionis a sacerdote accepti esset, purum se et pueros suos ab uxorum consuetudine, tres ipsos dies esse professus est. Hæc fere sunt, qua maxime observari a fidelibus oportet, ut se ad sacra mysteria relaciōne accipienda antea parent: reliqua enim, qua hæc in re provideantur, ad hæc ipsa capita facile redigi poterunt. *Gregor. in responsione 10 ad interrog. August. et hab. 55, q. 4, c. 7. Aug. serm. 2 de Temp. et 244.*

Saltem semel in anno quisque communicare tenetur.

LXII. Sed ne forte aliqui segniores ad hoc sacramentum percipiendum reddantur, quod tantum præparationem adhibere grave admodum et difficile ducent, fideles sepe admonendi sunt, omnibus eam legem propositam esse, ut sacram Eucharistiam accipiant. Præterea, constitutum est ab Ecclesia, ut qui semel saltem singulis annis in Pascha non communicaverit, ab Ecclesia areceatur. *Concilium Later. c. 28, et habeatur l. 5. Decret. tit. de Pœnit. et remiss. c. Omnis utriusque sexus; Trid. sess. 15, c. 9.*

Ad frequentem usum Eucharistie hortandi sunt fideles.

LXIII. Neque tamen fideles hoc satis habeant, se hujus decreti auctoritati obtemperantes semel tantummodo corpus Domini quotannis accipere: verum sèpius iterandam Eucharistie communionem existimant. Utrum autem singulis mensibus, vel hebdomadiis, vel diebus id magis expediat, certa omnibus regula præscribi non potest, ve-

(a) 1 Reg. 21, 5, 4.

rumtamen illa est sancti Augustini (a) norma certissima: Sic vive, ut quotidie possis sumere. Quare parochi parati erunt fideles crebro adhortari, ut quemadmodum corpori in singulos dies alimentum subministrare necessarium putant: ita etiam quotidie hoc sacramento alendae et nutriendae animae curam non abjiciant: neque enim minus spirituali cibo animam, quam naturali corpus indigere perspicuum est. Vehementer autem proderit hoc loco repetere maxima illa et divina beneficia, que, ut antea demonstratum est, ex Eucharistie sacramenti communione consequimur: illa etiam figura erit addenda, (b) cum singulis diebus corporis vires manna reficere oportebat: itemque sanctorum Patrum auctoritates, que frequenter hujus sacramenti perceptionem magnopere commendant. Neque enim unius sancti Patris Augustini ea fuit sententia: Quotidie peccas, quotidie sume: sed, si quis diligenter attenderit, eudem omnium Patrum, qui de hac re scripserunt, sensum fuisse, facile comperiet. *Ad frequentem communionem hortatur Augustinus de verbis Domini serm. 28, sed hic sermo cum non sit Augustini sed Ambrosii, lib. 5 de Sacram. c. 4, rejectus est in appendicem tom. 10. Item vide eudem August. Epist. 118, c. 3, item Ignat. ad Ephes. satis ante finem. Basil. Epistol. ad Cesar. patr. Ambros. lib. 5 de Sacram. c. 4. Chrys. hom. 61. ad populum Antioch. Cypr. de Oratione Dominicâ ad hæc verba, Panem nostrum quotidianum. Hieron. Epist. 28 ad Lucin. vers. finem. Cyril. lib. 5 in Joan. c. 51. Vide etiam de Consecr. dist. 2, per multa capita hac de re.*

(a) Aug. de Verbis Domini, serm. 28, qui desumptus est ex Ambros. lib. 5 de Sacram. cap. 4. — (b) Exod. 16, 21, 22.

Quotidie olim fideles communicabant.

LXIV. Ac tempus quidem olim fuisse cum fideles quotidie Eucharistiam acciperent, ex Apostolorum Actis intelligimus: omnes enim, qui tunc christianam fidem profitebantur, vera et sincera charitate ita ardebant, ut cum (a) sine intermissione orationibus et alijs pietatis officiis vacarent, quotidie ad sacra Dominici corporis mysteria sumende parati invenirentur. Eam postea consuetudinem, que intermitte videbatur, Anacletus sanctissimus martyr et pontifex (b) alia ex parte renovavit: præcepit enim ut ministri, qui Missæ sacrificio interessent, communicarent: quod ab Apostolis constitutum esse affirmaret. Diu etiam in Ecclesia ille mos fuit, ut sacerdos, peracto sacrificio, cum Eucharistiam sumpsisset, ad populum qui aderat conversus, his verbis ad sacram mensam fideles invitaret: Venite, fratres, ad communionem. Tunc qui parati erant, summa cum religione sacrosancta mysteria sumebant. *De quotidiana communione vide Dionysium de Eccles. hierarch. c. 3, parte 2. Hieronym. Epist. 28 ad Lucin. Gregorium lib. 2, dialog. c. 25. Item vide lib. de Eccles. dogmatibus, c. 53, et citatur de Consecr. dist. 2, c. 15.*

Ter in anno communicare olim erat præceptum.

LXV. Sed cum deinde charitas et pietatis studium adeo refrixisset, ut raro admodum ad communionem fideles accederent, sancitum est a Fabiano Pontifice, (c) ut ter quotannis, in Natali Domini, et Resurrectione, et Pentecoste omnes

(a) Act. 2, 42, 43. — (b) De Cons. dist. 2, c. 10. — (c) Fab. decret. habes de Cons. dist. 2, c. 16, et ib. citatur, Concil. Agath., c. 18, c. Seculares.

Eucharistiam sumerent, id quod postea a multis conciliorum, præsertim vero ab Agathensi primo confirmatum est.

Communicare semel in anno quando præceptum.

LXVI. Ad extremum, cum eo res adducta esset, ut non modo sancta illa et salutaris præceptio non servaretur; sed in plures etiam annos sacra Eucharistiae communio differetur, decretum est in Lateranensi (a) concilio ut semel ad minus singulis annis in Pascha fideles omnes sacram Domini corpus acciperent : qui vero id facere negligissent, Ecclesia adiutorio prohiberentur.

Ante usum rationis communicare non licet.

LXVII. Verum quamvis haec lex Dei et Ecclesiæ auctoritate sancta, ad omnes fideles perlineat : docendum est tamen eos excipi, qui nondum rationis usum propter etatis imbecillitatem habent; hi enim neque sacram Eucharistiam a profano et communi pane sciunt discernere, neque ad eam accipiendo pietatem animi et religionem afferre possunt. Atque id etiam a Christi Domini institutione alienissimum videtur ; inquit enim : (b) Accipite et comedite : infantes autem idoneos non esse qui accipiant et comedant, satis constat.

Infantibus olim dabatur Eucharistia.

LXVIII. Vetus quidem illa fuit in quibusdam locis consuetudo, (c) ut infantibus etiam sacram Eucharistiam præberent : sed tamen tum ob eas causas, quæ ante dictæ sunt, tum ob alias chri-

(a) Citat. lib. 5, Dece. tit. de Poenit. et remiss. c. Omnis utriusque sexus.—(b) Matth. 26, 26.—(c) Cyprianus, de Lapsis post med.

stianæ pietatis maxime consentaneas jamdiu ejusdem Ecclesiæ auctoritate id fieri desivit.

Nota. Qua vero aetate pueris sacra mysteria danda sint, nemo melius constitutere poterit, quam pater et sacerdos cui illi confitentur peccata: ad illos enim pertinet explorare, et a pueris percunctari, an hujus admirabilis sacramenti cognitionem aliquam acceperint et gustum habent.

Amentibus quando danda Eucharistia.

LXIX. Amentibus præterea, qui tunc a pietatis sensu alieni sunt, sacramenta dare minime oportet; quamvis, si antequam in insaniam inciderint, piam et religiosam animi voluntatem praeter tulerint, licebit eis in fine vitæ ex Concilio Carthaginensis decreto (a) Eucharistiam administrare: modo vomitionis, vel alterius indiginitatis et incommodi periculum nullum timendum sit.

Sub utraque specie communicare solis sacerdotibus licet.

LXX. Quod vero ad communicandi ritum pertinet, doceant parochi sanctæ Ecclesiæ lege interdictum esse ne quis sine ipsius Ecclesiæ auctoritate, præter sacerdotes, corpus Domini in sacrificio conficientes, sub utraque specie sacram Eucharistiam sumat : nam, ut a Tridentina Synodo (b) explicatum est, quamvis Christus Dominus in ultima cena altissimum hoc sacramentum in panis et vini speciebus instituerit et Apostolis tradiderit; ex eo tamen non efficitur, hanc legem a Domino Salvatore constitutam esse, ut omnibus fidelibus sacra mysteria sub utraque specie ad-

(a) Conc. Cart. 4, 76. — (b) Sess. 21, de Com. sub utraque specie, can. 1, 2, 3.

ministranda sint. Etenim idem Dominus noster, cum de hoc sacramento loqueretur, alterius tantum speciei sepius meminit, ut cum inquit: (a) Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum; et: Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita, et: Qui manducat hunc panem, vivet in aeternum. *Unius tantum speciei usum sufficere ad perfectam communionem, colliges ex Tertull. lib. 2 ad Uxorem. Cypr. de Lapsis. Orig. Hom. 13 in Exod. Basil. Epist. ad Cesar. Patr. August. Epist. 86. Hier. in Apol. ad Pannach. Chrysost. Hom. 41. Operis imperf. in Matth.*

Cur laicos utriusque speciei usus non concedatur.

LXXI. Multis vero, et iis quidem gravissimis rationibus adductam esse Ecclesiam patet, ut hanc potissimum sub altera specie communicandi consuetudinem non solum approbaret, sed etiam decreti auctoritate firmaret.

Prima ratio. — Primum enim maxime cendum erat, ne sanguis Domini in terram fundetur, quod quidem facile vitari posse non videbatur, si in magna populi multitudine eum ministrare oportuisset.

Secunda ratio. — Praeterea cum sacra Eucharistia aegrotis presto esse debeat, magnopere timendum erat, ne, si diutius vini species assertaretur, coacesceret.

Tertia ratio. — Permulti praeterea sunt qui vini saporem ac ne odorem quidem perferre ullo modo possint.

Quarta ratio. — Quare, ne quod spiritualis salutis causa dandum est, corporis valetudini noceret, prudentissime sanctum est ab Ecclesia,

ut panis tantummodo speciem fideles acciperent.

Quinta ratio. — Accedit ad alias rationes, quod in pluribus provinciis summa vini penuria laboratur: neque id aliundesine maximis impensis, ac nonnisi longissimis et difficillimis itineribus convehi potest.

Sexta ratio. — Deinde, quod maxime omnium ad rem pertinet, convellenda erat eorum haeresis qui negabant sub utraque specie totum Christum esse: sed corpus tantum exsangue sub panis, sanguinem autem sub vini specie contineri asserabant. Ut igitur fidei catholicae veritas magis ante omnium oculos poneretur, sapientissimo consilio alterius speciei, hoc est panis, communio inducta est. Sunt et aliae rationes ab iis collectae, qui de hoc arguento disserunt: que si opus esse videbitur, a parochis afferri poterunt.

Minister sacramenti Eucharistiae solus sacerdos.

LXXII. Jam de ministro, quamvis id a nemine fere ignorari possit, agendum est ne quid praetermissum sit, quod ad hujus sacramenti doctrinam pertinere videatur. Itaque tradendum est, solis sacerdotibus potestatem datam esse ut sacram Eucharistiam confiant, ac fidelibus distribuant. Eum autem morem in Ecclesia semper servatum esse, ut fidelis populus a sacerdotibus sacramenta acciperet, sacerdotes autem sacra facientes ipsi se communicarent, sancta Tridentina Synodus (a) explicavit ostenditque hanc consuetudinem tanquam ab apostolica traditione profectam, religiose retinendam esse; cum praesertim hujus rei illustrè nobis exemplum Christus Dominus reliquerit, qui et sanctissimum corpus

(a) Joan. 6, 51.

(a) Sess. 15, c. 10.

suum (*a*) consecravit, et Apostolis suis manibus porrexit.

*Vasa seu linteal sacra tangere laicis prohibi-
tum.*

LXXIII. Verum, ut quacumque ratione tanti sacramenti dignitatem consuletur, non modo ejus administrandi potestas solis sacerdotibus data est: sed lege etiam Ecclesia vetuit, ne quis, nisi consecratus esset, sacra vasa, linteal et alia instrumenta, quae ad illius confectionem necessaria sunt, tractare aut tangere auderet; modo gravis aliqua necessitas non incidenter. Ex quo tum sacerdotes ipsi, tum reliqui fideles intelligere possunt, quanta religione et sanctitate preditos esse oporteat, qui ad Eucharistiam, vel consecrandam vel sumendum accedunt.

*Improbitas ministri Eucharistie sanctitatem
non minuit.*

LXXIV. Quanquam, quod antea de cæteris sacramentis dictum est, ea non minus per improbos administrari, si que ad illorum perfectam rationem attinent riteservantur, idem valet in Eucharistie sacramento. Neque enim haec omnia ministeriorum merito niti, sed Christi Domini virtute et potestate geri credendum est. Hæc sunt quæ de Eucharistia, ut sacramentum est, explicanda erunt.

De Eucharistia ut sacrificium est.

LXXV. Nunc, quod restat discendum ut sacrificium est, explanare oportet, ut intelligent parochi que potissimum de hoc mysterio, quemadmodum sancta Synodus (*b*) decrevit, dominicis et

(*a*) Matth. 26, 26. Marc. 14, 22.—(*b*) Sess. 22, princip. c. 5.

festis diebus fidei populo tradere debeant. Etenim hoc sacramentum non solum thesaurus est celestium divitiarum, quo si bene utamur, Dei gratiam nobis conciliamus et amorem: sed in eo precipua quedam ratio inest, qua ei pro immensis in nos collatis beneficiis aliquam gratiam referre possumus. At vero haec victimæ, si rite et legitimè immoletur, quam grata et accepta Deo sit, ex hoc colligitur. Si enim veteris legis sacrificia de quibus scriptum est: (*a*) Sacrificium et oblationem noluisti; et iterum: (*b*) Si voluisses sacrificium, deditsem utique; holocaustis non delectaberis: ita placuerunt Domino, ut Scriptura Deum (*c*) adoratum esse odorem suavitatis, id est, grata ei et accepta fuisse, testetur. Quid nobis sperandum de eo sacrificio, in quo ille ipse immolatur atque offertur, de quo celestis vox his auditâ esse: (*d*) Hic est Filius meus dilectus, in quo bene mihi complacui. Hoc igitur mystrium parochi diligenter exponant, ut cum fideles ad rem divinam convenerint, attente et religiose sacra illa, in quibus intersunt, meditari dicant.

Duabus de causis instituta est Eucharistia.

LXXVI. In primis autem decebunt Eucharistiam duabus de causis a Christo Domino institutam esse; altera est, ut celeste animas nostræ alimentum esset, quo vitam spiritualem tueri et conservare possemus: altera, ut Ecclesia perpetuum sacrificium haberet, quo peccata nostra expiarentur, et cœlestis Pater sceleribus nostris sepe graviter offensus, ab ira ad misericordiam, a justæ animadversionis severitate ad clementiam

(*a*) Psalm. 39, 7. — (*b*) Ps. 50, 18. — (*c*) Gen. 8, 21. — (*d*) Matth. 5, 17.

traduceretur. Hujus rei figuram et similitudinem in (a) Agno paschali licet anidmaverte, qui ut sacrificium et sacramentum a filiis Israel offerri et comedи consueverat. *Vide Trident. de Sacrificio missæ, c. 1 et 5. Dionys. l. 1, de Eccles. Hier. c. 3. Ignat. Epist. ad Smyrn. Tertull. lib. de Orat. Iren. l. 4, c. 52. Aug. l. 10 de Civit. Dei, c. 10, et l. 17, c. 20, et 18, c. 55, et l. 19, c. 23, et l. 22, c. 8, et alibi passim.*

Quantum sit beneficium Eucharistie.

LXXVII. Nec vero, cum Salvator noster Deo Patri se ipsum in ara crucis oblaturus esset, ullam sue erga nos immensae charitatis illustriorem significationem dare potuit, quam cum nobis visibile sacrificium reliquit, quo cruentum illud semel in cruce paulo post immolandum instauratur, ejusque memoria usque in finem seculi quotidie summa cum utilitate ab Ecclesia per universum orbem diffusa coleretur.

Sacrificium inter et sacramentum differentia.

LXXVIII. Differunt autem plurimum inter se hæc due rationes.

Prima. — Sacramentum enim consecratione perficitur: omnis vero sacrificii vis in eo est, ut offeratur. Quare sacra Eucharistia, dum in pyxide continetur, vel ad ægrotum defertur, sacramenti, non sacrificii rationem habet.

Secunda. — Deinde etiam, ut sacramentum est, iis qui divinam hostiam sumunt, meriti causam affert, et omnes illas utilitates, que supra commemoratae sunt: ut autem sacrificium est, non merendi solum, sed satisfaciendi quoque efficientiam continet. Nam ut Christus Dominus in pas-

(a) Deut. 16, 1 et seqq.

sione sua pro nobis meruit ac satisfecit, sic qui hoc sacrificium offerunt, quo nobiscum communicant, dominicæ passionis fructus merentur ac satisfaciunt.

Sacrificium missæ a quo et quando institutum.

LXXIX. Jam de hujus sacrificii institutione nullum ambigendi locum sancta Tridentina Synodus (a) reliquit: declaravit enim in extrema cena a Christo Domino institutum esse; simulque anathematæ eos damnavit qui asserunt verum et proprium sacrificium Deo non offerri, aut offerre nihil aliud esse quam Christum ad manducandum dari.

Soli Deo sacrificium offerendum, et non sanctis.

LXXX. Nec vero illud pratermisit quin diligerter explicaret (b) uni Deo sacrificium fuerit: nam etsi Ecclesia interdum missas in memoriam et honorem sanctorum celebrare consuevit, non tamen illis sacrificium, sed uni Deo, qui sanctos immortali gloria coronavit, offerri docuit. Quare nec sacerdos unquam dicere solet: Offero tibi sacrificium Petre vel Paule, sed (c) dum uni soli Deo immolat, gratias illi agit pro beatissimorum martyrum insigni victoria, eorumque patrocinium ita implorat, ut ipsi pro nobis intercedere dignentur in celis, quorum memoriam facimus in terris. Haec autem, quæ de hujus sacrificii veritate a catholica Ecclesia tradita sunt, ex Domini verbis accepit, cum extrema illa nocte haec ipsa

(a) Sess. 22, de Sacr. missæ, c. 1, et can. 1 et 2. —

(b) Trid. Synod. sess. 21, c. 3. — (c) Aug. contra Faust. lib. 20, c. 24.

sacra mysteria Apostolus commendans : (a) Hoc facite, inquit, in meam commemorationem.

Nota. Eos enim, quemadmodum a sancta Synodo definitum est, (b) tune sacerdotes instituit, præcipitque ut ipsi, et qui eis in sacerdotali munere successuri essent, corpus ejus immolarent et offerrent; atque id etiam Apostoli verba ad Corinthios scripta satis demonstrant, cum ait: (c) Non potestis calicem Domini bibere et calicem dæmoniorum: non potestis mensa Domini particeps esse, et mensa dæmoniorum. Ut enim pro dæmoniorum mensa altare in quo eis immolabatur intelligendum est, ita etiam (ut, quod Apostolus proponit, probabiliter argumentatione concludatur) mensa Domini nihil aliud, nisi altare in quo sacrificium Domino siebat, significare potest.

Eucharistiae sacrificii figuræ et prophetiae.

LXXXI. Quod si ex Veteri Testamento hujus sacrificii figuræ et oracula requiramus, primum quidem de eo Malachias apertissime vaticinatus est his verbis: (d) Ab ortu solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus: et in omni loco sacrificatur et offeratur nomini meo oblatio munda, quia magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum. Praeterea, hac hostia tam ante quam post latam legem, variis sacrificiorum generibus prænuntiata est: etenim bona omnia, quae iis sacrificiis significabantur, hæc una victimæ, tanquam omnium perfectio et absolutio, complexa est. Verum tamen nulla in re ejus imaginem magis expressam licet videre,

(a) Luc. 22, 19. 1 Cor. 11, 24. — (b) Conc. Trid. sess. 22, c. 1. — (c) 1 Cor. 10, 21. — (d) Mach. 4, 11.

quam in (a) Melchisedech sacrificio: ipse enim Salvator (b) sacerdotem secundum ordinem Melchisedech se in æternum constitutum declarans, corpus et sanguinem suum in extrema cena sub speciebus panis et vini Deo Patri obtulit.

Sacrificium missæ et sacrificium crucis unum et idem.

LXXXII. Unum itaque et idem sacrificium esse fatemur, et haberi debet, quod in missa peragitur, et quod in cruce oblatum est, quemadmodum una est et eadem hostia, Christus videlicet Dominus noster, qui seipsum in ara crucis semel tantummodo cruentum immolavit. Neque enim cruenta et incruenta hostia duas sunt hostiae, sed una tantum, cuius sacrificium, postquam Dominus itat præcepit: (c) Hoc facite in meam commemorationem, in Eucharistia quotidie instauratur.

Christus et sacerdotes sunt unus sacerdos.

LXXXIII. Sed unus etiam atque idem sacerdos est Christus Dominus: nam ministri (d) qui sacrificium faciunt, non suam sed Christi personam suscipiunt, cum ejus corpus et sanguinem conficiunt, id quod et ipsius consecrationis verbis ostenditur: neque enim sacerdos inquit: Hoc est corpus Christi, sed: Hoc est corpus meum: personam videlicet Christi Domini gerens, panis et vini substantiam in veram ejus corporis et sanguinis substantiam convertit.

(a) Gen. 14, 18. — (b) Heb. 7, 17. Ps. 109, 4. — (c) Luc. 22, 19. 1 Cor. 11, 24. — (d) Chrys. Hom. 2 in 2 ad Timoth. et hom. de Prod. Judæ. Ambros. lib. 4 de Sacram. c. 4.

Missa est laudis et propitiacionis sacrificium.

LXXXIV. Quia cum ita sint, sine ulla dubitatione docendum est, id quod etiam sancta Synodus (*a*) explicavit, sacrosanctum missæ sacrificium esse non solum laudis et gratiarum actionis, aut nudam commemorationem sacrificii quod in cruce factum est, sed vere etiam propitiatorium sacrificium, quo Deus nobis placatus et propitius redditur.

Missam offerens ut decet, misericordiam consequitur.

LXXXV. Quare si puro corde et accensa fide, et intimo nostrorum scelerum dolore affecti hanc sanctissimam hostiam immolemus et offeramus: dubitandum non est quin (*b*) misericordiam a Domino consecuturi sumus et gratiam in auxilio opportuno: hujus enim victimae odore ita delectatur Dominus, ut gratiae et pœnitentiae donum nobis impertiens peccata condonet. Quamobrem et solemnis est illa Ecclesie precatio: (*c*) Quories hujus hostiae commemoratio celebratur, toties opus nostra salutis exercetur, nimur uberrimi illi cruenta hostiae fructus per hoc incursum sacrificium ad nos manant.

Missa vivis et defunctis fidelibus prodest.

LXXXVI. Deinde vero hujus sacrificii eam vim esse, parochi docebunt, ut non solum immolanti (*d*) et sumenti prosit, sed omnibus etiam fidelibus, sive illi nobiscum in terris vivant, sive jam in Domini mortui, nondum plane expiati sint. Neque enim minus ex Apostolorum certissima

— (*a*) Trident. sess. 22. De Sacrif. missæ, c. 2 et can. 5.

— (*b*) Hebr. 4, 16. — (*c*) Secreta Dom. 9 post Pentec. —

(*d*) Trid. Synod. sess. 22, c. 2.

traditione pro his utiliter offertur, quam pro vivorum peccatis, pœnis, satisfactionibus ac quibusvis calamitatibus et angustiis.

Missa nunquam est dicenda privata.

LXXXVII. Ex quo facile perspicitur omnes missas communes censendas esse, ut quæ ad communem omnium fidelium utilitatem et salutem pertineant.

Ad quid in missa tot ceremonie.

LXXXVIII. Habet autem hoc sacrificium multos, eosque maxime insignes ac solemnes ritus, quorum nullus supervacaneus aut inanis existimandus est; verum omnes eo spectant, ut et tanti sacrificii majestas magis eluceat, et salutaribus mysteriis intuendis ad rerum divinarum, quæ in eo sacrifici occulta sunt, contemplationem fideles excitentur. Sed de his nihil est ut plura dicamus: tum quia hoc argumentum longorem explanationem postulare videtur, quam propositæ institutioni conveniat: tum quia innumerabiles pene libellos et commentarios, qui de hac re a piis et doctissimis viris conscripti sunt, sacerdotes in promptu habebunt. Hactenus igitur satis fuerit earum rerum quæ ad Eucharistiam, tum qua sacramentum, tum qua sacrificium sit, pertinent, potiora capita, juvante Domino, exposuisse.

DE PÆNITENTIA SACRAMENTO.

Pænitentia sacramenti necessitas.

I. Quemadmodum humanae naturæ fragilitas et imbecillitas omnibus nota est, eamque in seipso quisque facile experitur: ita quantam habeat necessitatem pœnitentia sacramentum, ignorare nemo potest. Quod si diligentiam, quæ a parochis